



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae  
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De  
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.  
Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 3. De gratiarum actione

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

quæ Epistolam & Evangelium complectitur, monita scilicet salutis à Prophetis, ab Apostolis, & ab ipso Christo nobis tradita, & cum ingenti reverentia suscipienda. Quarta *Fidei*, quæ symbolo absolvitur. Quinta *Oblationis*, hostiæ salutaris oblationem continens, omniumque fidelium, pro quibus oramus & offerimus, commemorationem. Sexta *Communionis* ab illis verbis *Communicantes* usque ad Postcommunionem, qua sacerdotis animus in sublime erigitur, variisque affectibus ad divinam unionem, quæ communione peragitur, se disponit. Septima *Gratiarum actionis*, à Postcommunione usque ad finem. Porro in singulis stationibus variis affectus excitari possunt, raptim quidem & breviter, sed brevitatem intensio affectuum, atque ardor devotionis compensabunt.

§. III. *De gratiarum actione.*

**Q**Uatuor post Missam præstanda sunt, quorum primum & præcipuum est Gratiarum actio, secundum Oblatio, tertium Petilio, quartum Propositum dignè coram Deo ambulandi. Gratiarum actio quanto exactius fiet, tanto erit copiosior oblati sacrificii fructus. Sicut enim ingratitudo fontem divinæ largitatis exsiccatur, ita gratitudo torrentem aperit cœlestium benedictionum. Potest autem hic affectus multis & variis modis excitari, quos unctio suggeret, & ingeniosa pietas excogitat. Hoc unum est, quod à nobis expectat Deus, ut grati simus, & memores beneficiorum ejus. Sequitur oblatio, qua par pari Deo reddere Sacerdos potest, filium ejus Unigenitum & consubstantiale ei offerendo. Seipsum quoque offéret Patri & Christo holocaustum acceptabile in odorem suavitatis: & quo gratior sit oblatio, merita ei addet B. Virginis & omnium Sanctorum, ac ipsius Christi, qui est salus, redemptio, & tota fiducia nostra. Quia verò cum Filio omnia nobis Pater donavit, ipsum pro suis & aliorum necessitatibus humiliter & ferventer deprecabitur. Horum

actuum formula in promptu habenda erit , potestque ex his excerpti , quæ superiori capite descripta sunt Tandem concludet efficaci proposito eundi de virtute in virtutem in conspectu Dei , donec ad apicem Christianæ perfectionis perveniat.

*s. IV. Aspirationes post Missam sèpè per diem repetendæ.*

**Q**uis me separabit à charitate tua Domine Deus meus ? Non timor mortis , quia tu es vita mea: non amor mundi , quia ipsum sperno & omnes pom-  
pas ejus : non tribulatio , quia tu dum tribulor me-  
cum es : non famæ , non nuditas , non paupertas , quia  
tu es cibus meus , operimentum meum , & divitiæ  
meæ : non persecutio , non gladius , quia hæc dulcia  
mihi sunt propter te : non creaturæ , quia ante te ni-  
hil sunt.

Quando educes me de isto carcere , cui te relicto  
adhæsit anima mea ? quando trahes me post te captum  
specie tua & pulchritudine tua ? quando mihi & toti  
mundo mortuus ero , ut in te solo vivam ; & tu vivas  
in me ? O si semper te amarem , te semper posside-  
rem , à te nunquam discederem , in te prorsus con-  
verterer!

Quid possum extra te desiderare , cum in te sint  
omnia bona ? Nimis avarus est , cui tu non sufficis.

O amor qui omnia potes , quando facies ut diligam  
te toto corde , tota anima , totis viribus ?

Quid mihi est in cælo , & à te quid volui super ter-  
ram ? Jam plenum est desiderium meum , plenum gau-  
dium cordis mei , quia tu es plenitudo mea , omne bo-  
num & desiderium meum.

Refice Domine esurientem animam meam , accende  
frigiditatem meam igne amoris tui , illumina cæcitatem  
meam claritate præsentiae tuæ.

Verte mihi omnia terrena in amaritudinem , omnia